Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

runt enim de filiabus eorum sibi et filiis
suis in uxores et commiscuerunt semen
sanctum cum populis terrarum. Manus
etiam principum et magistratuum fuit in
transgressione hac prima. Cumque
audissem sermonem istum scidi pal-
lium meum et tunicam et euulsi capil-
los capitis mei et barbe et sedi merens.
Conuenerunt autem ad me omnes qui ti-
mebant uerbum domini dei israhel pro trans-
gressione eorum qui de captiuitate ue-
nerant et ego sedebam tristis usque ad
sacrificium uespertinum. Et in sacrificio
uespertino surrexi de afflictione mea
et scisso pallio meo et tunica curuaui
genua mea. Et expandi manus meas
ad dominum deum meum et dixi. Do-
mine deus meus confundor et erube-
sco leuare faciem meam ad te quoniam in-
iquitates mee multiplicate sunt super
caput meum et delicta mea creuerunt
usque in celum a diebus patrum nostro-
rum. Sed et nos ipsi peccauimus grauiter
usque ad diem hanc et in iniquitatibus
meis traditi sumus ipsi et reges nostri
et sacerdotes nostri in manibus regum
terrarum et in gladium et in captiuita-
tem et in rapinam et in confusionem vul-
tus sicut et in die hac et nunc quasi ad
paruum et momentum facta est depreca-
tio nostra apud dominum deum nostrum ut di-
mitterentur nobis reliquie et daretur
pax nobis in loco sancto eius et illumi-
naret oculos nostros deus noster. Et
daret nobis uitam modicam in ser-
uitute nostra. Quia serui sumus et
seruitute nostra non dereliquid nos
deus noster. Et inclinauit super nos misericordiam
suam coram rege persarum ut daret
nobis uitam et sublimaret domum
domini dei nostri et extrueret solitu-
dines eius et daret nobis sepem in iu-
dea et ierusalem. Et nunc quid dicemus deus
noster post hec. Quia dereliquimus man-
data tua que precepisti in manu ser-
uorum tuorum prophetarum dicens. Ter-
ra ad quam uos ingredimini ut possi-
deatis eam terra inmunda est iuxta in-
mundiciam populorum ceterarumque terrarum
abhominacionibus eorum qui repleuerunt
eam ab ore usque ad os in coinquinacione
sua. Nunc ergo filias uestras ne detis
filiis eorum. Et filias eorum ne accipia-
tis filiis uestris et non queratis pacem eorum
et prosperitatem eorum usque in eternum
ut confortemini et comedatis que bona
sunt terre. Et heredes habeatis filios uestros
usque in sempiternum. Et post omnia que
uenerunt super nos in operibus nostris pes-
simis et in delicto nostro magno quia tu
es deus noster liberasti nos ab iniquitate
nostra et dedisti nobis salutem sicut est
hodie ut non conuerteremur et irrita fa-
ceremus mandata tua neque matrimo-
nia iungeremus cum populis abhomina-
cionum istarum. Numquid iratus es
nobis usque ad consummacionem ne dimit-
teres nobis reliquias et salutem. Do-
mine deus israhel iustus es tu. Quoniam
derelicti sumus qui saluaremur sicut
die hac. Ecce coram te sumus qui
saluaremur in delicto nostro non enim
stari potest coram super hoc. X
Sic ergo orante esdra et im-
plorante deum eo quod fle-
ret et iaceret ante templum
dei. Collectus est ad eum de israhel cetus
grandis nimis uirorum et

270